

v^o 11

offen. 4 17.

- 1) Pfaffrad, C.
- 2) Carpizow, B.

N. VI. 49.



16

I. N. J. A.

INTRODUCTIONIS AD LOCOS

Theolog. B. Chemnitii,

DISPUTATIO XV.

Ex quâ

DE

SECUNDO GENERE COM-

MUNICATIONIS IDIOMATUM,

Præside

JOHAN-BENEDICTO CARPZOVV SS. Theol+

Licentiato, Profess. Publico & ad D. Thomæ

Ecclesiae;

Respondente

M. JOHANNE SIGISMUNDO Schwenc

Neubrunensi Franco.

Die 7. Decembris, Anni 1648.

disputabitur.

LIPSIAE,


Typis HENNINGI CÖLERI.



M. D. C. C. L. I. I.
INTRODUCTIONIS AD LOCOS
THEOLOGICAE CHEMIAE
DISPUTATIO IV.

EX
DE
SECUNDO GENERE COM-
MUNICATIONIS

JOHANNI BENEDICTO CARSTOVII S. THEOL.
M. JOHANNI BUCHHEIMIO S. THEOL.



ARTIC. II

De

Secundo Genere Communicationis
Idiomatum.

I. Secundum Genus Communicationis Idioma-
tum non nominatenus saltem, sed re ipsa *νοῦς*
ἰδιωματῶν est & appellatur. c. XVII. p. 105. b.

§. I.

Qui Communicationem Idiomatum ita restringunt, ut nul-
lum aliud Genus *νοῦς* præter primum agnoscant, & o-
mnia, quæ de persona Christi prædicantur, ad alterutram tantum
ipsius naturam referunt, multis nominibus falsi sunt.

§. 2. Sic enim argumentamur.

Ubi est Operationum Communicatio, ibi etiam vera & rea-
lis Idiomatum Communicatio est:

Atque in secundi Genere est Operationum Communicatio:

E. in secundo Genere etiam vera ac realis Idiomatum Com-
municatio est.

De *Minore* nunc non sumus solliciti, cum sequens Aphori-
smus illi lucem fæneraturus sit. *Majorem* probamus ex ipsa na-
tura Operationum in se spectatarum. Ex *Logicis* enim notum
est, Operationes naturales esse propria Naturarum in tertio modo,
ac dependere à proprietatibus naturalibus. Quod igitur ibi O-
perationes sunt, id hic quoque non denegari illis debet.

§. 3. Deinde falsitatem hanc ostendimus ex fine incarnationis.
Ipsa doctrina de causis, inquit Chemnicus pag. 105. b. quare Mediato-
rem oportuerit esse non solum Deum nec hominem tantum, sed simul
Deum & hominem, convincit, falsum illud esse. Certè Nomina offi-
cii

Disput. XV.
Respond. M.
Johanne Si-
gismundo
Schwenzel
Neubrun:
Franco.

ei longâ serie p. 107. a. recensita, utriusque naturæ Operationes exigunt.

§. 4. *Vetus Ecclesia* (3.) etiam hoc Genus disertè agnovit & tradidit. Testimonia ex *Cyrillo & Nazianzeno* p. 106. citat *Chemnitius*, & p. 112. b. 115. b. pluribus ostendit, quomodo *Vetus Ecclesia* istud explicârit. Nunc sufficit notâsse, quòd in Concilio quarto *Oecumenico Chalcedonensi* sub *Martiano Imperatore* à sexcentis & triginta *Episcopis* circa annum *Christi* 451. decretum fuerit, In persona *Christi* utramque naturam agere μετὰ κοινοῦτος cum *Communicatione* alterius, quod cuiusque proprium est. In quem Canonem ita commentatur *Chemnitius* p. 105. b. Licet de vocabulis non velim pugnare: tamen cum *Universale Concilium* hoc Genus expressè nominet κοινοῦτος, & addat, quod cuiusque proprium est, vel pueris manifestum est, hoc esse κοινοῦτος ἰδίωσιν hoc est *Communicationem Idiomatum*. Eadem dixit c. XIII. p. 82. a.

§. 5. Non verò propterea nomina *Officii* cum proprietatibus naturarum à *Chemnitio* confunduntur, quod *Philippista* olim ei objiciebant & is etiamnum hodie eo nomine vapulat ab illis. Satis enim distinctè ista proposuit, & tot verbis protestatus est, se de vocabulo cum nomine litigare velle, modò rebus ipsis non struerentur insidiæ, nec displicuit ei, si secundum Genus quis appellare vellet *Communicationem Operationum* c. XIII p. 81. a.

§. 6. Et hoc ipsum est, quod *Menzerus* ex *Chemnitio* etiam repetiit in *Disput. XII. T. V. Marp. Th. I.* & in *Anti Martino* p. 198. ubi se declarat, quòd mallet ad vitandam ambiguitatem vocare κοινοῦτος ἐνεργειῶν: quia scilicet ἐνεργειῶν naturarum concurrunt ad κοινοῦτος ἀποτέλεσμα. Ab aliis ex *Cyrillo* appellatur κοινοποίησις, uti *Chemn.* c. XII. p. 51. 6. annotavit. *Gerhard* in *Exeg.* §. 282. p. 1473. & §. 289. p. 1482. *Hutter.* in *Loc. Theol.* f. 159. B. *Hunnus* f. 160. idè hoc Genus putat *Communicationem Idiomatum* dici, quia quæ in officio *Christi* distinctim cuique naturæ competunt per *Communicationem Idiomatum* toti *Personæ* attribantur quæ *DEUS* & homo est.

§. 7. *An Theologi Saxonici hodierni hoc Genus Communicat. Idiomatum negent?* uti *Tubingenses* hujus criminis illos postulaverunt

runt, ipsimet Dn. Saxonici Theologi toto c. IIX, Sect. 12. *Apologia ostendunt, & Innocentiam suam vindicant.*

II. *Omni studio autem hoc secundum Genus à primo & tertio discernendum est, nec confundi invicem debent, c. XI l. p. 79. a. & b, c. XIII. p. 87.*

§. 1. Aliud est *divellere & separare* aliquid, aliud *distingvere*. Non *divelli* ac *separari* quidem debent Genera, quod monuit etiam Chemnicus c. XIII. p. 87. b. sed tamen *distingvi* & non *confundi*.

§. 2. *Differunt & subjectis & Predicatis.* Quantum enim ad *subjectum* attinet, in primo Genere *subjecti loco* stat *Concretum Persona & natura*; In secundo verò tantum *Concretum Persona* *subjectum* esse potest, unde & vocabula quæ aliàs sunt *Concreta Natura*, in omnibus illis *Propositionibus* quæ ad secundum Genus *Communicat*. *Idiomatum* pertinent, *synecdochicâ quadam ratione Totâ Personam* expriment, ut quando dicitur *semen mulieris conteret caput serpentis, Gen. III. 15. Venit Filius hominis servare quod perierat Matth. XIX. 11. DEUS veniet & salvabit vos Es. XXXV. Filius Dei in hoc apparuit, ut destrueret opera Diaboli Job. III 8.* Ita in Tertio genere *subjectum* *Communicationis* non est *Tota Persona*, sed *Humana natura in concreto* seu prout in *Persona τὸ λόγος* subsistit; *Caro Christi est vivifica &c.* Quod verò *Predicatum* concernit, non minus ibi manifesta diversitas deprehenditur. In primo enim genere *Idiomata* vel *singularum naturarum* vel *unius nature in se distinctè* considerantur, ac nihilominus, ut Chemnicus p. 78. b. ait, *tribuuntur Personæ secundum unâ illam naturam*, cujus sūt propria: In tertio, enunciantur illæ præminentia, Excellentia, Dignitates & Prærogativa, quas exhypostatica cum Divina natura *Unione*, accipit & habet humana natura: In secundo autem hoc Genere enunciat *Opus*, ad quod *Utriusque nature actiones concurrunt*, & quidem de *tota persona*, non secundum unam tantum, sed *secundum utramque naturam*.

§ 3. Neminem verò turbet, si viderit, *Chemnitium* ea, quæ *Persona Christi in Officiis Regni & Sacerdotii*, simul etiam in huma-

240.

na, eum humana & per humanam naturam agit ac operatur, ad
Tertium Genus Communicationis Idiomatum referre, C. XII. p. 80. a.
 C. XVII. p. 106. a. 112. a. & b. c. XIX p. 123. a. Ut enim taceam, du-
 plicem esse *Communicationem Operationum*, *Unam*, quæ consistat
 in *mutuo Concursu* Operationum Divinæ & Humanæ Naturæ ad
 commune effectum producendum; *Alteram*, quâ *Divinæ Opera-*
tiones λόγῳ communicantur cum Humana Natura & per illam per-
 ficiuntur: præterea etiam distingvendum hîc est, inter *fundamen-*
tum proximum Operationum & inter *ipsas Operationes ex funda-*
mento hoc provenientes; seu inter τὸ *posse operari*, & inter *ipsum τὸ*
Operari. Quando *Chemnitius* Operationes istas ad *tertium Genus*
Communicationis Idiomatum refert, non tam *ipsas actiones*, quàm
earum fundamentum intelligit, & hujus solius respectu *Tertio Gene-*
ri illa accenset, uti inter cætera ipsemet p. 107. b. mentem suam ex-
 primit: *Ac Tertio quidem Genere*, scribit, ostendemus, *ideò humanam*
Naturam in Christo ex hypostatica Unione ἐπερφυσικῶς καὶ παραφύ-
σικῶς accepisse, ut posset in *officiis illis Christi Salvatoris*, etiam præter
 & *ultra naturales suas proprietates cooperari*. Repetit hæc. XXIV. p.
 178. a. ubi distingvit inter *ipsum officium* & inter *potentiam exe-*
quendi officium; ac ostendit *Officium ipsum* secundum utram-
 que *Naturam competere* & datum etiam esse *Christo*, *Potentiam*
 verò non *secundum utramq; naturam* ei fuisse datam, siquidem se-
 cundum *Divinam Naturam* ab æterno eam habuerit. Distingvi
 insuper posset inter *Operationes naturarum*, & *operationes perso-*
na secundum illas naturas, ac dici, *Chemnitium* ad *Naturarum Ope-*
rationes respexisse, sive *ex sese* sive *ex Communicatione* vim istam
 habeant, dum retulerit ad *tertium Genus* istas Operationes tan-
 quam *ἐνέργειας*, non verò ad *ipsius Personæ actiones*, quæ ἀποτέλε-
 σματικά sunt, & de *Tota Persona secundum utramque Naturam* enun-
 ciantur.

III *Forma bujus generis in eo consistit, quòd u-*
traque natura agat quod suum seu cuiusq; proprium
est, cum alterius Communicatione ad commune
ἀποτέλεσμα efficiendum p. 106. a. & b.

§. I.

§. 1. Ita in *Concilio Calcedonensi* decreta & explicata fuit res huic generi substrata, ad quod provocat *Chemnicus* semper in explicatione hujus Generis, non quidem tanquam ad principium doctrinæ hujus, sed ad *Testimonium*, ex quo constare possit, quomodo veram & sanam sententiam *Vetus Ecclesia ex Verbo Dei tradiderit & explicarit*, prout hunc Consensum ipsemet infra c. XIX. p. 120. interpretatur. C. XXXII. pag. 265. a. sophisticam an notat, quâ Canonem hunc adversarii occultant sua glossa, quando clausulam hanc addiderunt: *servatâ ejusque naturæ proprietate.*

§. 2. Probat id quod *Concilium Calcedonense* ita decrevit (1.) *Identitas Personæ & Communio Naturarum.* Ex priore enim fuit unitas & communitas ἀποτέλεσματος: Ex altero verò *Operatio-num* unitè unum opus efficientium *Concursus & Communio.* Hoc est, quod *Damasceus* l. III. c. 14. monuit p. 109. a. à *Chemnitio* allegatus, utramque naturam in Christo in Officiis illis agere, quod cujusque proprium est, non διωρημένως sed ἐνομένως, sicut naturæ in Christo unitæ sunt & subsistunt. Videatur *Damascei simile à Chemnitio* p. 109. a. & b. adductum. (2.) probatur hoc ex illis *Scripturæ dictis*, in quibus Redemptio, Propitiatio & Salvatio, Christo IN utraque natura, PER & SECUNDEM utramque naturam operanti tribuitur, unde nunc supponit pro *subjecto Concretum Personæ* I. *Cor. XV. 3. Gal. 1. 4. Eph. V. 2.* nunc per *Synecdochen* habet *Concretum naturæ, sive Divinæ*, Jer. XXIII. 14. 15. seqq. Joh. III. 16. Rom. VIII. 4. 5. Rom. IX. 3. 4. Act. XX. 28. 1. Joh. V. 11. sive *Humana*, Matth. XIX. 11. 1. Tim. II. 15. (3) *Antiquitas* valde venustè observavit, *Chemnit. p. 108. b. & cap. XXIV pag. 165. a.* monente, illa dicta, in quibus clarè ostenditur, Christum non solo divinæ potentie nutu & imperio miracula sua perficere voluisse, sed *Carnem* suam tanquam *Organum* adhibuisse, & vel *contactu*, vel *Verbo* corporali sanasse ægrotos & resuscitasse mortuos, Matth. IX. Marc. VII. Luc. VII. XIV. Job. IV. IX. XI. Hoc certo consilio fecit, scribit *Chemnitius* l. all. ne quis in summis illis officiis *Messie* Redemptionis, Reconciliationis, Justificationis, Vivificationis, Mediationis, Salvationis &c. *Humana Natura in Christo*, tanquam *Creatura*, nullum usum concederet, cum solius *Divinitatis* virtute & potentia facilius & rectius illa effi.

effici posse, nobis videantur &c. locum ex Gersono citat Chemnit. cap. XX. pag. 128. b. (4.) ab ipsâ Mediatione, quam Divina natura Christi non potuit sine assumpta humanitate præstare p. 106. b. 107. b. Inter Divinitatem partem offensam & inter Genus humanum, partem offendentem, ait Chemnitius p. 108. a. non potuit Mediatrix esse vel sola Divinitas, vel sola humanitas, quia Mediatorem oportet utrique parti conjungi. Idem repetit p. 109. b. 110. a. Hanc fuisse Veteris Ecclesiæ sententiam, (5.) probat Chemnitius p. 112. b. & seqq. multis testimoniis.

§. 3. Ut autem evidentior fiat, & rectius intelligatur id, quod huic Secundo Generi ex decreto Concilii Chalcedonensis substratum ac involutum est, tria sunt consideranda, PRIMUM est distinctio quâ unaquælibet Natura agit, quod sibi naturaliter proprium est. 2. Communicatio, quâ unaquælibet Natura cum communicatione alterius agit. 3. Opus, quod inde resultat. Ad quorum omnium dexteram intelligentiam eruditè vocabula certa applicuit Damascen. l. III. 15. ἐνέργεια, ἐνεργητικὸν, ἐνεργῶν, ἐνεργημα, ἀποτέλεσμα.

§. 4. I. Distinctio Naturarum & Operationum est advertenda, quomodo scilicet unaquæque Natura ex Naturalibus seu essentialibus suis proprietatibus conferat; ut doctrina Veteris Ecclesiæ de duabus Naturalibus Voluntatibus & Actionibus seu operationibus Christi incarnati rectè explicari & intelligi possit, pag. 106. a. 107. b. Etsi enim Naturæ duæ personaliter sint unitæ, & subsistant in una Persona, & non διηρημένως sed ἑνωμένως non separatim sive seorsim, sed unitè operentur, quod ex Damasc. III. c. 14 ostendit p. 109. Chemnitius; tamen ut essentielle inter ipsas discrimen perpetuum est, ita etiam differentia perpetua manet inter earum Idiomatica & Operationes naturales, ut Divina natura Virtute Divinâ naturaliter operetur, quod Divinum est, & Humana natura facultate suâ Humanâ operetur naturaliter quod humanum est.

§. 5. Huic distinctioni inserviunt vocabula ἐνεργητικὸν & ἐνεργεια. Ἐνεργητικὸν est Principium quo, ut scholastici vocant, quod est pars suppositi, secundum quâ agit & operatur istud. Et talia ἐνεργητικὰ sunt Naturæ duæ in Christo, Divina & Humana, Idiomaticis suis

is præditæ, secundum quas naturas & proprietates agit Christus. *Ενέργειæ* verò sunt tum *facultates in operando*, tum *ipsi motus effi- caces ac Operationes*, quæ ex proprietatibus naturalibus am- barbarum naturarum proficiscuntur. Hoc notetur, quia voca- bulum *ἐνέργεια* quandoque significat *Terminum Operationis seu ef- fectum*, sicut & *Damascen. l. III c. 15.* id notavit, λέγειται ἡ ἐνέργεια καὶ ἐνέργημα, καὶ τὸ τίσιμα κίνησις; factum hinc esse, ut etiam in hoc mysterio quandoque *Patres* ita acceperint vocem hanc, unde *Damascen. c. 19.* *Dionysii* dictum allegat, citatus à *Chemit. cap. 115.* a. quò opera officii vocavit Θεανθρωπικὰς ἐνεργείας: sed hoc in loco su- mitur pro *actione ipsa seu motu*, id quod contra *Martinium* nota- vit *Mentzerus in AntiMartin. p. 270.* Non pauci etiam sunt, qui *ἐνέρ- γημα* ad distinctionem *Operationum* referunt & de *Opere Unius na- turæ* exponunt. Sed cum Naturæ duæ hîc unitè agant, idèò *ἐνέργημα* nihil aliud est, quàm *Opus per Operationes utriusque Naturæ agentis effectum*. Aliud ergo est *effectum Unius*, aliud *Com- mune Utriusque naturæ effectum*.

§. 6. Ita autem distinctionis *Operationum* ratio habeatur, ut simul etiam II. *Communicatio* distinctarum *Operationum* pro- bè cogiteretur & non negligatur. Ut enim per *prius* Utraque na- tura ad ἀποτέλεσμα confert quod suum est, ita per *Communicatio- nem* hanc Utraque agit & operatur quod suum est, cum *Communi- catione* alterius. V. *Chemnit. p. 06. a & b.* Qui *cap. XI l. p. 78 b.* di- stinguunt inter *proprias* & inter *separatas actiones*. Propter *Hyposta- ticam Unionem*, inquit, *qualibet naturarum in Christo*, licet habeat *separatas suas actiones*, ita ut *Divina separatim agat sine humanitate*, & *Humana suas separatas habeat actiones sine Divinitate*. Nimi- rum, ut neutra *Natura in Christo* subsistit per se sola sive seorsim & separatim, sed est inter *Deitatem* & *humanitatem* Unio *Personalis*: ita etiam neutra *natura sola* sive seorsim agit, sed una quælibet cum alterius *Communicatione*. Conside- randæ igitur hîc sunt *actiones* non tantùm ut *naturales* sunt, sed etiam ut *Communicationem* habent *invicem*, & aliud est *concurrere proprietatibus suis*, ut *naturales* illæ sunt & *proprie*; Aliud verò *concurrere proprietatibus appropriatis ad unum ἀποτέλεσμα effi- cien-*

ciendum, id quod *Canon Concilii Chalcedonensis* exprimere voluit per *προσδιορισμὸν* illum, cum *Communicatione alterius*, scilicet. naturæ, tum *communicatis* suas actiones alteri, quemadmodum Divina natura, humanæ communicavit vim & efficaciam, ut possit pati satisfactoriè: tum *appropriantis sibi humana*, sicut ὁ λόγος *Humana* naturam ejusq; propria sibi appropriavit.

§. 7. De utraque *Communicatione Canon* ille intelligendus est, non tantum illa, quæ resultat ex *Communicatione activè* dicta, sed etiam, quæ oritur ex *Communicatione passivè* dicta sive *ἰδιοποιία*. Non enim *Communicatio* hæc in eo tantum consistit, quod *Utraq; Natura in Una Persona Christi simul agat*; Hæc enim non *actionis Communio*, sed *suppositi* agentis seu Naturarum agentium in Una Persona Unio: Neque in eo, quod ex *Utraq; actione, divina & humana emergat Unum ἀποτέλεσμα & effectus*; Nam & hic non est actionum *Communio* mutua, sed *diversarum ἀκοινωνητῶν* actionum Idem opus: sed & insuper requiritur, ut ipsæ *ἐνεργητικὰ* inter se *arctissimam Communione* habeant, & deinde ipsæ *ἐνεργεῖαι* Naturarum *Naturis communes sint*, & *communione* habeant, ut *Humana sit τεθέωμενή* & *Divina* Humanas sibi *appropriet* actiones, sicut *Gesnerus in Disp. XIII F. Concor. tb. 17. seqq. p. 439. seqq. ex Damasceno ad Chemnicii ductum* hæc exponit, qui *p. 110. b. prævererat*. Summa horum omnium hæc est: *Humana Natura* in *Christo*, non tantum operatur *humanè & humanas actiones*, sed & *divinās* non quidem per vim *propriam* sed *Communicatam* scil. *Deitatis*, cujus *Instrumentum unitum ac ἐύχρηστον* est *Humana Natura*. Ita *Divina Natura* non tantum agit quod suum est, id est, *divinè & divinas operationes*, sed etiam *appropriat sibi humana nature operationes & personaliter eas agere dicitur*.

§. 8. Hæc ita esse probamus 1. quia *κοινωνησις* non tantum ex *μεταποιία* sed etiam ex *ἰδιοποιία* pendet, ejusque effectus est. 2. quia aliàs *Canon* ille esset *particularis* & tantum de *Operationibus Divinæ naturæ*, quæ cum *Carnè* communicantur, loqueretur, non verò de *humanis actionibus*, quæ *λόγος* eas sibi *appropriat*. 3. Sicut se habet *Communicatio Proprietatum* ita & *Operationum*. Jam *Communicatio proprietatum* est *mutua*, licet

Et non eodem modo: In ἰδιοποιία enim, se passivè habet, & appropriatio est, unde de λόγῳ non de Divina natura prædicantur Humana: In μετὰποιία verò sese habet activè, unde de Humana natura per & propter Unionem Personalem, Divina prædicantur: Ergo & Communicatio operationum ita sese habet. Præterea (4.) quod Chemnit. p. 106. b. & 107. a. optimè monet & sæpius repetit, Opera officii quædam talia sunt, ut Divina Christi natura non possit ea præstare sine assumpta humanitate, v. g. corpus suum dare, sanguinem suum effundere, pati, mori &c. Quædam verò, et si posset perficere solâ suâ Divinâ potentiâ, tamen ex libera & bona voluntate, quam Græci εὐδοκίαν vocant, vult ad illa etiam efficienda κοινωνίαν, Communicationem, societatem & cooperationem quandam assumptæ Humanæ naturæ tanquam Organi personaliter & inseparabiliter unæ, adhibere, & ita officia regni non absolutè solâ Divinâ suâ potentiâ, sed IN assumptæ Humanæ naturæ, CVM illa & PER illam exercere & perficere. Hoc ex Chemnitio B. Hunnius in Scriptis suis sæpius repetit & non satis inculcare potest, CHRISTUM non solùm IN carne & CVM carne agere & operari, sed etiam PER carnem, Ut Carni non tantùm Ministerium externum tribuatur, sed ipsa etiam efficacia divina, quæ λόγῳ quidem originaliter, Humanæ verò Naturæ ἐσομένως & Consequenter ex Unionem personali & quia Deus ita voluit, κοινωνίαν realis adscribatur.

§. 9. Ubi probè observetur ista nomenclatio, quæ Humana Natura Organum λόγῳ, in Operationibus officii, appellatur. Distingvendum enim est, uti Chemnit. cap. VII pag. 49. a. & alibi monuit, inter terminum hunc à Nestorio & hodiernis Nestorizantibus applicatum, & prout is ab Orthodoxis usurpatus in mysterio hoc fuit. Longè aliud est, inquit ille, quando Nestorius vocavit organum & quando veteris Ecclesiæ Humanam naturam unitam vocat Organon Operationum Deitatis Filii. Nimirum, quædam organa sūt separata, & per accidens tantùm ac per nudam assistentiam principalis agentis, cum Instrumento Unita; & hæc communem quidem habent operationem, sed tamen à principali agente ipsis non communicatur vis operandi, sicut ferris est instrumentum separatum

ratum à principali agente suo scilicet fabro lignario, qui est quasi forma assistens huius instrumenti, unde non habet vim agendi, quam principale agens habet. Tale autem instrumentum & Organum Humana Christi Natura non est, verum *conjunctum & operativum*, quod non solum principalis agentis operationem, sed etiam ipsam Operandi virtutem ac δύναμιν communicatam habet, sicut animæ organum conjunctum corpus est, quod habet vim videndi, sentiendi &c. Et anima non tantum cum corpore actum communicat, sed ipsam δύναμιν seu facultatem vivendi & sentiendi communicat. Et tale Organum Divinitatis in actionibus officii, Caro Christi est, non per assistentiam nudam, sed personaliter unitum, cum quo λόγος non actum tantum, sed etiam vim & facultatem infinitam communicat. ut cum Communionem divinæ naturæ agat & operetur, id quod divinum est, & in, cum & per humanam Christi naturam Divina natura in Christo agat, ita ut eandem numero potentiam quam ὁ λόγος habet in apotelesmatis officii efficiendis, etiam humana natura habeat & usurpet. Pluribus hæc opponit Chemnit. c. XX. p. 127. a. & b. pag. 128. a. & b. cap. XXIV. p. 178. b. & Gerhard: in Exeg. pag. 1216. 1474. 1475. 1481. 1499. Schroderus in sceptro regali pag. 392. seqq.

§. 10. Atque ita totum negotium in eo consistit, quod Operationes naturarum, quæ ad officii opera concurrunt, non tantum considerari debeant, ut naturales, unitè & non divissim effecta communia cooperantes, ob Personæ Operantis Identitatem & hypostaseos, in qua utraq; Natura subsistit, communitatem, sed etiam prout invicem communionem habent, ob naturarum & proprietatum Communionem sive ex ιδιοποιία proveniente, sive ex Communicatione Majestatis, quam Humana Christi natura in tempore accepit.

§. 11. Et ad hanc Communicationem pertinent ἐνεργῶν & ἐνέργεια. Ἐνεργῶν est Hypostasis utens operatione p. 118. b. seu tota persona, DEUS & homo, & est principium QUOD cujus actiones & passionis sunt, à quibus ultimatè denominatur. Non enim possum dicere: Hæc agit sola Divinitas, ista patitur sola Humanitas, sed hæc agit, hæc patitur Persona. Papistæ abutuntur hoc terminò

nō, uti videre est apud Bellarm. lib. IV. de Christo c. 1. & opponunt Principiū Quod, ὁ ἐνεργῶν dictum, τοῖς ἐνεργητικῶς seu principis Quibus, id est duabus naturis, cum tamen subordinata sint in mysterio hoc, & Officii opera non tantum personæ sint, sed etiam naturarum duarum in Christo; Illius quidem ut ἐνεργῶν. Harum verò, ut principiorum interiorum ἐνεργητικῶν, secundum quæ & per quæ Persona agit. Ἐνεργεῖα verò est illa Operatio, qua in Operationibus Humanæ naturæ, adest Divina natura, Approbatione, Appropriatione, Corroboratione, ut Humana operetur, non tantum ex virtute naturaliter sibi competente, sed etiam, ex Virtute divina sibi communicata; & contra in operatione Divinæ Naturæ adest Humana natura ut Organum, non ἄργον, sed personaliter Unitum, in quo & per quod Divina Natura operationes suas exerceat & perficiat. Nimirum concurrunt hic duo agentia & usurpant unam eandemq; numero facultatem, quam principale agens Divina natura, habet ex se, Instrumentum verò, Humana sc. Natura per communicationem.

§. 12. Exemplo rem declaramus. Christus fecit purgationem peccatorum nostrorum per se ipsum Ebr. I. 3. Hic ὁ ἐνεργῶν est Persona, ἐνεργητικὰ sunt naturæ Divina & Humana, sequitur hinc ἐνεργεῖα Utrâque naturâ agente, & δύναμιν exercente cum Communicatione alterius ad producendam purgationem nostrorum peccatorum, Divinâ quidem per suam Virtutem, Humanâ verò per sanguinem à Divinâ Natura appropriatum, & Virtute supernaturali dotatum, seu quatenus sanguis iste est εὐχρηστον ὄργανον Divinæ naturæ factum per Communicationem virtutis κατὰ φύσιν, quam Christus secundum Divinam naturam habet ab æterno. Atque ita Principium quod purgationis est tota persona: Principium quo verò, est utraque natura, tum naturalium Operationum respectu, tum ratione Appropriationis & Communicationis.

§. 13. Hoc perspicuè Chemnitius pag. 110. b. ita exponit: Ad hunc gradum κοινωσίας pertinet & hac consideratio, quod tam arcta

est hypostatica Unio, ut non tamùm in effectu aliquo officii Christi producendo & efficiendo, una Natura agat cum Communione alterius: Verùm etiam, quando una natura in Christo, quod suum & proprium est, agit, vel quando Christus secundum unam naturam, quod ejus proprium est agit, quod etiam tunc illa seu actione seu passione alterius Naturæ propria, altera non sit ociosa, ita, ut vel nihil vel aliud agat, sed quod & tunc una Natura agat cum Communione alterius, quod cuiusque proprium est, ut pati ac mori humana natura proprium est, sed propter arctissimam hypostaticam unionem, patiente humanitate, divina Christi natura non fuit otiosa, sed adfuit personale Unione naturæ patienti, volens eam pati, permittens eam mori, corroborans & sustentans eam, ut posset onus illud sustinere, & victrix evadere, utque passiones illæ fiant salutares. Et postea, quod dixerat, ex Damasceno illustrat.

§ 14. Tandem & III. Opus meretur observationem, ad quod producendum, utraque natura in Christo cum Communicatione alterius agit. Hoc non ex æquo se habet. Distinguendum enim hic est. inter ενεργήματα & inter ἀποπέσματα. Ενεργήματα sunt Opera effecta, ἀποπέσματα verò Opera evēta. Ενεργήματα sunt actiones officii & functiones muneris prophetici, ut διδάσκειν ὡς ἑξοίαν ἔχων Matth. VII. 29. Sacerdotalis, pro vita mundi pati & mori, pro hominibus & peccatoribus rogare & intercedere; Regii, vincere Mortem, resuscitare se & resumere vitam. ἀποπέσματα verò sunt eventus, qui ex functionibus officii proveniunt; Sunt vel communia leu generalia, ut Mediatio, salvatio, Redemptio; vel specialia, ut Acquisitio salutis, quæ officium Sacerdotale: Conversio hominum, quæ Propheticum: Collectio Ecclesie, Remissio peccatorum, resuscitatio ex mortuis, quæ Regium Christi officium consequuntur. Hoc discrimen toties monstrat Chemnitius, quoties distinguit inter Officia Regni ac Sacerdotii Christi, & inter ἀποπέσματα effectum seu opus aliquod officii, meriti & beneficii Christi, qualia sunt Redemptio, propitiatio Salvatio, Mediatio &c. confer p. 106. a. p. 107. a.

Πρόγραμμα.

*Christus est Propheta, Rex & Mediator noster
secundum utramque naturam.*

§.1. Perpetua Regula Chemnitii est p. 106. a. 107. a. & b. 109. b. & c.
In Officiis Christi Redemptoris & Salvatoris utraque natura agit
cū Communicatione alterius, quod cuiusque proprium est, Nullo modo
sentiendum est scribit. p. 110. a. Divinā naturam τὸ λόγος prorsus otiosā
fuisse in Officio Redemptionis persona operante redemptionem in sola hu-
mana natura. Ita enim Virtus & honor redemptionis Divinae natu-
ra detraberetur, & ad solam humanam naturam transcriberetur.
Atque ita, sicut Epiphanius inquit, incideremus in iudicium illud, de
quo Jeremias inquit, maledictus, qui carnem ponit brachium suum.
Nec satis solida & firma esset nostra Redemptio, si solis humane nature
operationibus niteretur. Nimirum non sufficit ad redemptionem
nostram, quod Redemptor DEVS fuerit sed ipsa etiam redemptio &
Mediatio divina esse debuit, ut vigorem haberet & coram DEO
valeret. Ac proinde distinctio Bellarmini inter mediationem
essentialem & formalem I. V. de Chr. c. 1. applicari hūc non potest,
sed vana est.

§.2. Non confundi autem hūc debent cum Papistis & Calvini-
nistis, quæ distincta sunt. Aliud enim est esse Regem, gubernare Eccle-
siam, remittere peccata, &c. Et aliud, constituere in caput Ecclesiam,
constituere & constitui in Regem. Prius ad ἀποτέλεσμα pertinet,
& est opus ex beneficiis Christi effectum & proveniens: Posterius
verò est actio DEI Patris & τὸ λόγος. Prius secundum utramque na-
turam Christo competit: Posterius verò non nisi secundum illam,
quæ perfici & exaltari potuit, nempe secundum Humanam na-
turam, secundum quam in tempore ei datum est regnū in ipsa Unio-
ne, plena autem Potestas administrandi istud, in Exaltatione.

§.3. Similiter etiam sese res habet in Officio Sacerdotali. Uti
enim non nuda mors suffecit, ita etiam non confundi debent, quæ

mortem ipsam, & quæ mortem ἀνθρώπων enunciant. Aliud enim est cum dico: *DEVS patitur, fundit sanguinem, moritur;* & aliud cum dico, *Deus pro mundi vita patitur, sanguine redimit, sanguinem effundit pro hominibus.* Prius enunciat proprietatem & secundum solam humanam naturam de Persona prædicatur; posterius verò enunciat ἐπέφυκε & secundum *Utramque Naturam* de Persona enunciat. Hoc Chemnitius optimè exponit c. XV. p. 100. a. & c. XVII. p. 100. Sed inquis, scribit loco posteriori, *Tamen supra in primo genere Communicationis Idiomatum ostensum est passionem & mortem esse proprietates non Divinae sed Humanae Naturæ, sicut & scriptura inquit, Christum passum & mortuum esse Carne.* Respondeo, aliud est, loqui de passione & morte Christi, quatenus est proprietas humanae Naturæ, & Aliud est, quod per illam passionem & mortem placata est ira Patris, contritum caput serpentis, Mors destructa, vita restituta, captivi liberati &c. Hæ enim Divinae Virtutis operationes sunt, non tamen sine Carne. Divina enim Filii Dei Virtus, sicut Cyprianus inquit, velut Hamus quidam erat, habitu Humanae Carnis obiectus, ut à serpente Leviathan devoratus, per illam passionis & mortis suæ infirmitatem caperet & superaret fortem illum armatū. Vid. Mentzer. de questione: *An Mori pro mundi vita sit ἀποπέλασμα, an vere Natura humana propriū Disp. VII. th. 85. pag. 277. seq. & Disp. IIX. tota à p. 283. ad 312. T. V. Giff. & in AntiMartinio p. 197. De Jac. Martini Disp. XIII. & XIV. de Christo Mediatore in Coll. I. super A. C. D. Eckhard: In quest. peculiari subnexa tractatui de desc. Christi ad inferos p. 118. ad 139. Gerhard. in Exeges. p. 325. Brochm. de Offic. Christi p. 967. seqq. Hutter. in. F. G. art. III. p. 351. seqq.*

IV. *Ita autem Utraque Natura in Christo agere dicitur cum Communicatione alterius Naturæ, ut salvum maneat discrimen Exinanitionis & Exaltationis status p. III. a.*

§. 1. *Eti secundum Humanam Naturam Christus omnia in statu*

statu Exinanitionis facere poterat, quæ nunc post consummatum Redemptionis Opus secundum humanam Naturam agit, tamen noluit, sed liberè se evacuavit usu & Exercitio plenario & non interrupto, quia Exinanitioni ejus obstabat & impedimento erat.

§.2. Quando igitur *Chemn. p. 107. a.* ait, ad Officium Christi pertinere *dominationem*, quâ secundum utramque Naturam potenter dominatur omnibus Creaturis, tunc de *Officio spectato in sese* agit, non verò prout in Exinanitionis statu istud sustinuit, ubi non dominari, sed servire debebat & volebat, *Matth. XX. 28.* Quamvis enim Divina Natura, non sine humana Natura rexerit tunc Universum orbem, & dominata fuerit, sed semper & indivulsè Humanam Naturam inhabitaverit, tamen non secundum humanam naturam Christus dominium istud exercuit, aut Humanam Naturam tanquam *Organum* usurpavit, & cum illa ac per illam dominatus est, sed secundum Divinam tantum; secundum Humanam verò Naturam fuit quidem etiam in Exinanitione profundissima Rex, sed non exercuit istud dominium, verum spontè ac liberè sese evacuavit, ut pari ac mori posset, ut pluribus *c. XXXIII. 270. & 271.* id exponit *Chemnitius*. Illa ipsa Natura, inquit, in qua Divinitas λόγος propter Hypostaticam Unionem super omnia excellentissimo modo lucere & operari debebat gloriam, potentiam & Operationem suam, tempore Exinanitionis quasi infirmitatibus rectam occultavit, & ab Opere, sicut *Ambrosius* loquitur, retraxit, ut tantam naturales Proprietates & infirmitates in assumpta Natura inesse & prædominari viderentur, idque non tantum externa facie coram hominibus, verum etiam coram ipso Deo. Prolixè id exponunt *Dn. Theologi Saxonici contra Tubingenses in Apolog. sect. 1. c. V. p. 72. & seqq. & sect. II. c. IIX. p. 264. seqq.*


§.3. Eleganter hoc illustrat *Chemnitius p. 111. & 112.* *Irenæi* verbis Græcè apud *Theodoretum* (ipse enim *Irenæus*, Græcè hodie non extat) extantibus, quando dicit Divinam Naturam seu λόγος conquiesse, ut posset tentari, crucifigi & mori. Quod non de omnimoda quiete τὸ λόγος, intelligi debet; quinimò nec de omnimoda Christi secundum Ultramque naturam operatione; sed saltem de ista o-
pera.


*peratione quæ condecuit humanam Naturam exinanitam, ubi λόγος
 mediante scil. Organo suo, humanâ Naturâ, nō propulsavit omnes
 injurias, passiones atque ipsam adeò mortem, nec Christus se-
 cundum humanam naturam dominatus fuit ac exercuit vires su-
 as ad prohibendas à Carne sua injurias & passiones ac mortem,
 sed cessit iræ æterni Patris adversus peccatum generis humani,
 volens in humanâ suâ naturâ pro salute generis humani pati, ac
 permittens ut secundum Carnem crucifigi ac mori posset. Addit
 Chemn. græco Verbo ἰουχάζαν, quod & latinis Patribus, Tertulli-
 ano, Ambrosio, & Græcis Cyrillo, Athanasio, Theodoro mirificè pla-
 cuerit, non simpliciter ociosam præsentiam significatâ fuisse, sed
 tantum, quantum ad Exinanitionem sufficiens fuit; aliàs secun-
 dùm Carnem Christum etiam divina operatū esse, dum vicit, ac su-
 stinuit iram, & eluctatus est ex doloribus istis, id quod Irenæus
 etiam in isto loco indicet, quando addit, λόγον præsentem &
 operatum fuisse cum homine, ut possit vincere, sustine-
 re, nobis prodesse, resurgere & in cœlum
 ascendere.*

F I N I S.

AB 42 $\frac{3}{i,9}$

VO 17





16

AD LOCOS
nitii,
O XV.

NERE COM-
OMATUM,

RPZOVV SS. Theol+
ad D. Thomæ

OO Schwencf
o.
1648.

ÖLERI.